Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1075
Quelle:
Copyright:

Altbithonans eque, qui retribuis bona queque,
Accepta digna facie cum matre benigna,
Quem dat eberhardus codicem, tibi sit quasi nardus,
Pro quo post luctum secli dona sibi fructum,
Qui non marcescit senio, sed qui inde uirescit.
Istud solamen michahel sibi conferat. Amen.

Eberhardum Lunaelacensem fuisse monachum, e Coenobii Patrono *Michaele* liquet. Habes ibidem etiam: *Anno Domini Millesimo Quadringentesimo destitutus est illustris dominus wenczeslaus Rex Bohemie a regno Romanorum per certos et approbatos articulos. Et Electus est* (nulla *Friderici Brunsvic.* mentione facta) *Serenissimus princeps ac dominus noster dominus Rudpertus olim comes Palatinus Reni Baiarie dux &c. In regem Romanorum et per dei nomen in Imperatorem promouendus In laudem et gloriam totius christianitatis.*

In anterioris Thecae involucro non invenusta restant in Sec. XII. lacinia Carmina, quae ignarus, quo pertineant, hic offero:

Addit sobrietas uulnus letale iacenti,
Conjiciens silicem rupis de parte molarem.
Hunc uexillifere quoniam sors obtulit ictum
Spicula nulla manu, sed belli insigne gerenti,
Casus agit saxum, medii spiramen ut oris
Frangeret, et recauo misceret labra palato.
Dentibus introrsum resolutis lingua resectam
Dilaniata gulam frustis cum sanguinis implet,
Insolitis dapibus crudescit guttur et ossa
Conliquefacta uorans reuomet, quas hause — — —

Certamen Virtutum et Vitiorum cani putem, quale Sec. XIV. sermone pedestri dedit in sua *Concordia Caritatis* a me *Vol.* I. P. 3. *col.* 2634. relata *Udalricus* Abbas *Campililienſis*, et versu leonino Anonymus, ut *ibid.* P. 1. *col.* 406.

CCCCXLIX.

R. 1984 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 106. f. per duas columnas bene scriptus, rubricis enotatus, et olim *Domus Porte beate Marie virginis in Axpach prope Danubium Ord. carthusien.* complectitur: I. *Homiliarium* Quadragesimale a *Die Cinerum* usque ad *Coenam Domini*, in qua abrumpitur. Homiliae omnes *Beati Remigii Ep.* nomen praeferunt, ad unicam *fol.* 40. *Super Missus est Angelus Gabriel* &c. abrasum est, et merito; Homilia enim illa, cujus initium: *Latent quidem divina mysteria* &c. depromta est ex *Ambrosio in Lucam* L. II. c. 1. Jam vero